

tamen hunc laborum tabulas construendi adeo defugit, ut si quis computet ex ipsius canonibus, ne quidem ad eas observationes computatio congruat, quibus fundamentum operis innititur. Itaque collatis Copernici observationibus cum Ptolemaeo & Hipparcho, alias tabulas institui, quarum usum mox ostendam. Et causas earum ac fontes in alio opere expono.

Vt autem apud Poëtam de Ænea dicitur:

Nam te iam septima portat,

Omnibus errantem terris ac fluctibus æstas.

Ita ego iam annos septem huic labori impendi, non ut ille procul terra & mari vagatus, sed tamen in his publicis miserijs, & hoc tristi patriæ bello aliquantisper exulans cum familia, & exercitatus morbis, luctu domestico, & rei familiaris detrimentis, quam augere potuissem, si questuosas operas, aut diuinationes huic utili & erudito labori præferre voluissem. Quanta enim commoditas est, quod retrò etiam ad mundi exordium computari motus cælestes, ex his tabulis possunt, quod ad inueniendas Eclipses vetustas accommodatissimum est?

Plurimum autem referret in Chronologia habere rectè ordinatas Eclipses, & magnas Planetarum coniunctiones: qua in re, si Deus qui est fons vitæ, & sapientiæ, confirmabit huius corpusculi vires, & meos labores reget, moliar opus, quod & multis utile, & tibi Princeps ALBERTE iucundum fore spero.

Multa omnibus ætatibus apud eas gentes, apud quas Arithmetices & Geometriæ studia floruerunt, ut apud Phænices, Ægyptios, Chaldeos, deinde & apud Græcos, Siculos, Latinos, machinæ admirabiles Geometrica ratione factæ sunt. Extructæ & munitæ arces, & turres, facti pontes, naues, portus, mola, tormenta bellica. Talia opera etsi in vita necessaria sunt, tamen durabilia esse non possunt, ut in versu præclarè dicitur. Mors etiam saxis, marmoribusq; venit

Sed motuum tabulæ omnibus temporibus seruiunt, & perpetuæ esse possunt, & longè maiores utilitates vitæ adferunt, quàm vllæ pyramides, turres, arces, aut Automota. Et tamen premia maiora mechanicorum artificum fuerunt, quàm eruditorum, qui fontes doctrinæ, & motuum rationem generi humano ad omnem perpetuitatem conseruauerunt.

Vnus Rex Alphonsus, in hac senectâ mundi, cum has artes ferè extinctas reuocaret in lucem, vidit non posse rem tantam perfici, nisi & multi coniungerent operas, & à Republica sumptibus iuuarentur. Hunc

Scribunt